

et Philipp. 2 : *Deus est qui operatur in nobis velle*, etc. In quibus non est sermo de prædeterminatione physica voluntatis, sed de excitatione, et inductione morali cum physica cooperatione, ut in libro 5 latius exponemus. Et in ipsa solutione aperte loquitur D. Thomas de motione quam Deus exhibet omnibus causis secundis, quam esse cooperationem supra probavimus, et hanc dicit esse in unaquaque causa secunda modo illi accommodato, quod verissimum est, et inde nos inferimus in causa libera non esse cum antecedente determinatione ad unum, quia hoc non est consentaneum naturæ talis causæ.

16. *Confirmatur explicatio.* — Et si quis attente consideret omnia verba illius solutionis, intelliget Doctorem sanctum responsonem suam inchoare, nostram asserendo sententiam; argumentatus enim fuerat voluntatem moveri ab alio, et ideo non posse esse sui juris, id est, domina sui actus, ac proinde nec liberam, et ideo respondendo incipit, dicens, quod *liberum arbitrium seipsum movet ad agendum*; ubi expendo non tantum dicere liberum arbitrium agere, sed etiam se movere ad agendum, quod certe non est aliud quam se applicare et se determinare ad actionem suam; nam si ab alio solo prædeterminaretur, moveretur quidem ad agendum, sed non se moveret ad agendum. Deinde vero respondet ad argumentum, licet hoc modo liberum arbitrium sit dominus sui actus, non excludere superiorem Dominum a quo in motione sua pendeat, et hoc est quod ait : *Non est de necessitate libertatis, ut sit prima causa sui id quod liberum est, nam Deus est prima causa movens*, etc. Ut autem liberum arbitrium creatum non sit prima causa sui motus, non est necesse ut prædeterminetur ab alia, sed satis est quod in sua determinatione essentialiter pendeat a prima causa modo jam sæpe explicato. Atque eodem modo nos dicimus, ut liberum arbitrium se determinet, non oportere ut sit prima causa suæ determinationis; nam illa etiam a Deo pendet, tanquam a primo agente determinationem ipsam. Illa ergo solutio D. Thomæ et nostram sententiam in prioribus verbis confirmat, et in aliis nihil repugnat, imo tacite solvit quod frivole objici solet, quia si voluntas se determinat non prius determinata, erit primum principium liberum; respondet enim D. Thomas, ut voluntas se movens seu determinans ad agendum non sit prima causa, et consequenter nec primum liberum, satis esse quod a priori libero in sua determinatione pendeat.

17. *Explicatur ex 1. 2, q. 6, art. 1, ad 3.* — Secundo, affertur D. Thomas in 1. 2, quæst. 6, art. 1, ad 3, estque hic locus similis præcedenti, et ideo nihil illi addere oportet, sed solum verba notare. Argumentum enim fuerat non posse hominem agere voluntarie, quia qui voluntarie agit, per se agere potest, quod homini non convenit, dicitur enim Joan. 15 : *Sine me nihil potestis agere*. Responsio autem est, quod *Deus movet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut movens ipsam voluntatem*, utique proprie, et effective, ac physice agendo in ipsam, quod nos etiam fatemur. Hinc vero colligunt etiam movere concursu prævio et prædeterminatione, quam illationem nos iterum atque iterum negamus, quia est a genere ad speciem affirmative, et ex puris particularibus : movet enim Deus et præmovet voluntatem efficiendo physice et immediate in ipsam, non per concursum prævium, sed per aliquem bonum affectum indeliberatum, non prædeterminantem illam ad consensum, sed inclinantem et allicientem. Deinde movet Deus voluntatem ad agendum physice, proprie et immediate cooperando cum illa se movente ad agendum sine prævia determinatione. Et de hoc modo motionis loquitur ibi aperte D. Thomas, sicut illum intellexit ibi Conradus explicans hunc locum per alia, quæst. 199. Et probat ex ratione quam D. Thomas subjungit : *Quia omnis motus, tam voluntatis quam naturæ, ab ipso procedit tanquam a primo movente*, utique immediate et principaliter, quod per se et intrinsece verum est ratione concursus simultanei, in quo essentialiter pendet omnis motus voluntatis vel naturæ a primo movente, non ratione concursus prævii, quia neque per se necessarius est, neque ratione illius potest dici motus causæ secundæ pendere immediate et essentialiter a Deo. Unde statim declarat eundem actum voluntarium, qui est a Deo, esse etiam necessario a principio intrinseco : ab utroque ergo est simul, et non prius a solo Deo, quod æque de ipsa determinatione voluntatis procedit : aut enim dicendum est non esse voluntariam homini, quod est valde absurdum, aut asserendum est esse ab ipsa voluntate cooperante Deo : hæc est divi Thomæ doctrina.

18. *Explicatur ex 1. 2, q. 9, art. 4, ad 1.* — Tertius locus similis allegatur ex 1. 2, quæst. 9, art. 4, ad 1, ubi D. Thomas ait : *Licet de ratione voluntarii sit, quod principium ejus*

sit intra, sed non oportet quod hoc principium sit primum non motum ab alio, quod verissimum est ratione dependentiæ essentialis voluntatis creatæ a Deo, ratione cujus idem motus voluntarius, qui est immediate a voluntate, ut a principio proximo intrinseco, est etiam a Deo, ut a primo principio extrinseco. Et ita simul voluntas movet seipsam proxime, et movetur a Deo primo et principaliter, eodem utique motu quo seipsam movet, etiamsi nullus alius a solo Deo antecedit : hoc enim est per se ex vi essentialis dependentiæ necessarium, licet aliis rationibus possit interdum Deus præmovere voluntatem absque physica prædeterminatione, ut sæpe est dictum, et D. Thomæ doctrina statim explicabitur.

19. *Explicatur ex 1. 2, q. 10, art. 4, ad 5.* — Quarto, additur ex eadem 1. 2, quæst. 10, art. 4, ad 3, quod D. Thomas ait : *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter, et ideo non consequitur quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur*: quem locum volunt etiam juniores intelligi de motu prævio facto in voluntate a solo Deo, et ita ex hoc loco colligunt necessitatem in sensu composito, etiamsi suppositio sit antecedens, et ex sola voluntate Dei producta, non esse contrariam libertati. Sed nos, in Prolegom. 4, ex sententia Anselmi et ejusdem D. Thomæ, ostendimus talem sensum compositum repugnare libertati, ideoque hunc locum intelligimus de suppositione concomitante; nam, ut in prioribus testimoniis diximus, Deus dicitur movere voluntatem eodem motu quo ipsa se movet, et ideo, si supponatur Deus movere voluntatem, simul supponitur voluntatem ipsam se movere, et ideo est suppositio consequens, seu comitans, et ideo necessitas, quæ ex illa sequitur, non repugnat libertati, quia jam supponit usum libertatis; quam expositionem probamus, primo, quia est propriissima, et consentanea verbis, et ad soliditatem et facultatem doctrinæ necessaria. Secundo, quia habet consecutionem cum corpore articuli in quo clare D. Thomas docuerat Deum ita movere voluntatem, ut non determinet illam ad unum ex necessitate, id est, ex sola extrinseca vi, sed illam contingenter et indifferenter operari sinat, ut supra late declaravimus. Tertio, quia in locis proxime allegatis, et ubique, docet D. Thomas, de ratione illius motus, quo Deus movet voluntatem, esse ut sit a principio intrinseco, ut patet ex locis supra citatis quæst. 6 et 9. Ergo

dum supponit hic Deum movere voluntatem, supponit etiam voluntatem movere se, et ita est suppositio comitans, seu necessitas consequens, qua res, dum est, dicitur necessario esse : et eodem modo dici potest quod, si voluntas se movet, necessario illam movet Deus, quia in suppositione illa motio Dei includitur : idem ergo est e converso. Denique obiter adverto nunquam apud D. Thomam inveniri Deum agere proprie physice ac directe in voluntatem, nisi infundendo habitus, vel efficiendo in voluntate ipsa aliquem motum vitalem ejus, omnisque alia motio vitalis est medio intellectu, ut ex sequenti puncto patebit. Et ita nunquam invenio apud D. Thomam quod Deus moveat voluntatem se solo efficiendo in illa aliquid medium inter habitum et vitalem actum ejus, qualis prædeterminatio seu concursus prævius esse fingitur.

20. *Objicitur ex 1. 2, q. 9, art. 3 et 4.* — Ultimo, retorquetur contra nos doctrina D. Thomæ in dicta quæst. 9, 1. 2, art. 3 et 4, quatenus in illa dicit, licet voluntas se moveat per consilium ad electionem mediorum, ad primam intentionem finis non se movere, sed a Deo moveri. Et ita in voluntate etiam defendit illud principium : *Omne quod movetur, ab alio movetur*, quia voluntas se movet ad media ex intentione finis, ad ipsam vero intentionem movetur ab alio, scilicet ab auctore suo; sic enim ait, in eadem quæst. 9, art. 6, esse proprium Dei movere voluntatem, efficiendo in illa inclinationem ad universale bonum. Ubi videtur loqui de inclinatione non tantum innata, sed etiam vitali et actuali; et magis explicat 1 p., quæst. 105, art. 4, ubi eandem habet doctrinam, et addit : *Velle nihil aliud est quam inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod est universale bonum*, et similia habet 3 contra gent., cap. 89, ration. 6, et sæpe alias. Ex qua doctrina colligi videtur saltem ad primum actum suum indigere voluntatem divina motione prædeterminante.

21. *Explicatur illa doctrina.* — Verumtamen licet hoc totum concederemus, inde nihil probaretur de concursu prævio prædeterminante, et essentialiter necessario ad actus voluntatis, vel propter essentialem dependentiam a prima causa, vel propter indeterminationem suam. Nam (ut supra dicebam) etiam post intentionem finis est voluntas de se indeterminata ad media, et in omnibus actibus suis pendet a prima causa, ut a primo movente. Quocirca, etiamsi demus primam finis volitionem esse peculiari modo a Deo, non id

esset propter præviā motionem distinctam ab illa volitione prima et prædeterminantem voluntatem ad illam, sed quia Deus immediate et per se aliquo peculiari modo facit talem actum in voluntate. Unde Capreolus dixit Deum solum efficere in voluntate primam illam volitionem finis sine concursu activo ipsius potentia; quod improbable est, ut in *Metaphysica*, disp. 19, sect. 7, dixi, et ideo ab omnibus rejicitur; tamen ex illo etiam falso opinandi modo colligimus non intellexisse Capreolum primam volitionem finis esse a Deo, propter prævium concursum, sed quia est effectus solius Dei.

22. *Cajetani expositio rejicitur.* — Cajetanus, licet concedat illam volitionem esse effective a voluntate, ait tamen necessariam esse quoad exercitium, et ideo tribui Deo. In quo quidem falsum dicit, nam ille actus semper est liber quoad exercitium in hac vita, ut probavi contra Cajetanum, etiam ex mente D. Thomæ, in dicto loco *Metaphysicæ*. Quod vero Cajetanus addit in dicta quæstion. 9, artic. 4, illum primum actum non esse voluntarium, est expresse contra D. Thomam in eodem articulo, ad 1, ubi declarat quomodo ille actus voluntarius esse possit, licet sit a Deo. Et aliis in locis universaliter dicit de ratione actus voluntatis esse ut sit voluntarius, et inde colligit voluntatem non posse cogi, prima parte, quæstion. 82, artic. 1, et 1. 2, quæstion. 6, artic. 3. Ratio etiam est evidens, quia ille actus est a principio intrinseco vitali, quia est effective a voluntate, ut ipse Cajetanus admittit, et est cum cogitatione prævia; est ergo voluntarius. Denique amor Dei in patria est voluntarius, et motus primo primi nostræ voluntatis sunt voluntarii; ergo, quod ille actus necessarius esset, impertinens est ad rationem voluntarii, et ad explicandum cur dixerit divus Thomas voluntatem non se movere in primo actu, sed moveri a Deo. Ex illa vero explicatione etiam colligimus non sensisse Cajetanum D. Thomam fuisse ita locutum propter prævium concursum, vel prædeterminationem voluntatis, quæ possit esse simul cum libertate actus.

23. *Expositio Ferrar.* — Aliter Ferrariensis, 3 contra gent., cap. 89, sentit illam primam volitionem esse necessariam quoad specificationem, et ideo non tribui voluntati, sed auctori naturæ, quantum ad id quod habet naturalitatis et necessitatis. Ita enim limitat assertionem, et rationem reddit, quia licet fiat a voluntate, non fit ut a principali causa, sed

principaliter dicit esse a Deo ut ab agente quod; ab anima vero et voluntate ut a forma per quam agit Deus. Et ita etiam Ferrariensis non intelligit hunc locum D. Thomæ de concursu prævio, nec de determinatione voluntatis quæ per illum fiat, sed de illa quæ provenit ex naturali inclinatione voluntatis: nihilominus tamen illa expositio nec rem generaliter declarat, nec in rigore veritatem continet.

24. *Confutatur prima pars illius.* — Primum patet, quia illa necessitas quoad specificationem ad summum reperitur in volitione beatitudinis formalis, seu boni in communi, ut in dicto loco *Metaphysicæ* declaravi. At ille actus non est ex necessitate primus in omni deliberatione et negotio; frequenter enim incipimus ab intentione finis particularis, ut sanitatis, scientiæ, vel similis; imo nec oportet actum illum esse primum quem homo veniens ad usum rationis habere potest, ut eodem loco probavi. D. Thomas autem non loquitur solum de prima volitione totius vitæ, sed de prima intentione particularis finis, in quacumque serie electionum, ut patet exemplo quod de intentione sanitatis, et electione medicinæ seu curationis adhibet. At in intentionibus particularibus non invenitur necessitas quoad specificationem, ut per se patet, quia ad bona particularia, etiamsi propter se intendi possint, non necessitatur voluntas etiam quoad specificationem. Unde talis intentio potest esse peccaminosa, non solum in uno vel alio negotio, sed etiam in prima intentione, quam homo habet cum primum pervenit ad usum rationis, ut fatetur D. Thomas 1. 2, q. 89, art. 6. Ergo prima volitio non tribuitur Deo propter necessitatem quoad specificationem.

25. *Altera pars expositionis Ferrariensis rejicitur.* — Deinde probatur altera pars, quia etiam volitio beatitudinis vel boni in communi, licet sit necessaria quoad specificationem, est ab homine, ut ab agente quod, et ut principaliter operante ac se movente per virtutem propriam; nam viventia, etiamsi operentur ex inclinatione naturali, et non moveantur ab uno actu ad alium, sed simpliciter operari incipient, vere et proprie dicuntur operari, et quidem tanquam causæ principales proximæ, non minus quam ignis dicitur calefacere; sic enim planta efficit nutritionem suam, et visus visionem, et sic de aliis, et ita proprie se movent, quia hoc est de intrinseca ratione actus vitalis. Ergo idem erit in voluntate circa primam intentionem finis, vel etiam boni in communi, quia ex virtute intrinseca, et tanquam

sibi propria, illum actum elicit. Nec oberit quod eadem voluntas sit principium activum integrum, et receptivum illius actus, quia simul est potentia activa et passiva sine repugnantia, quia est in potentia receptiva ad actum secundum, et est in actu primo, non per ipsum actum secundum, sed per eminentem virtutem suam, ut argumentatur Scotus in 2, d. 37, q. 1, § *Ideo merito*; et patet in appetitu sensitivo, qui non elicit unum actum per alium, neque habet aliud principium proximum agendi præter seipsum, suppono enim cognitionem phantasie non concurrere ad actus appetitus; et nihilominus elicit actus suos in seipso, ut principalis virtus activa proxima, et in virtute animæ, et ideo illi sunt proprii actus vitales, per quos animal seipsum movet et actu vivit; ergo idem est in primo actu voluntatis.

26. *Benignior aliorum interpretatio D. Thomæ.* — Propter quod qui benignius interpretantur D. Thomam, dicunt illum locutum fuisse moraliter, non physice; nam loquendo physice, sine dubio voluntas proprie se movet quoad exercitium actus in prima intentione finis, etiamsi sit de bono in communi, quia vere efficit illum actum propria virtute vitali, imo et determinat se ad talem actum, quia cum posset illum continere, voluntarie illum exercet. Nihilominus tamen moraliter dicitur voluntas non se movere in illo actu, quia non per proprium consilium, nec per priorem voluntatem se applicat et disponit ad talem actum eliciendum; sed, ab alio præventa quoad objecti propositionem per cogitationem non voluntariam, sed aliunde immissam, statim ex aliqua propensione naturali prodit in talem actum. Unde idem D. Thomas 1. 2, quæst. 17, art. 5, ad 3, dixit primum actum voluntatis non esse imperatum a ratione, quia non est ex ordinatione rationis, sed ex instinctu naturæ aut superioris causæ.

27. *Quam aliqui rejiciunt.* — Aliis vero hoc non satisfacit; volunt enim etiam moraliter se movere voluntatem in illo actu, quia potest esse liber quoad exercitium et specificationem, ut dictum est: esse autem morale incipit per esse liberum; imo in eo consistit; ergo in illo actu voluntas moraliter operatur; ergo moraliter se movet. Imo etiam sola libertas quoad exercitium ad hoc sufficit, quia illa satis est ut actus sit humanus, moralis ac meritorius. Confirmatur primo, quia idem D. Thomas 1. 2, quæst. 1, art. 2, generaliter pronuntiat voluntatem se movere in finem, quia

est domina illius actus quo tendit in finem. Confirmatur secundo, quia talis intentio finis semper non potest tribui Deo, sed solum homini tanquam moraliter operanti, nam semper illa prima voluntas est peccaminosa, vel in principio usus rationis, ut ex D. Thoma dixi, vel frequentius in quotidianis intentionibus, nam omnia peccata incipiunt ex prava aliqua intentione finis.

28. *Disputatio reducitur ad modum loquendi.* — Verumtamen quoad hanc partem disputatio est de modo loquendi, et diversis sensibus uterque potest esse verus. Nam si motio moralis generaliter dicatur omnis actio libera, sine dubio dici potest homo se movere moraliter in prima volitione finis, ut probant quæ adduximus. Loquendo tamen rigorosius et quasi per antonomasiam de motione morali, quasi significat discursum moralem habentem principium in aliquo affectu et impulsu ab ipsomet homine sibi comparato, sic dicitur homo moraliter moveri ad media potius quam ad finem. Unde dixit D. Thomas, quæst. 3 de Malo, art. 3, ad 5, voluntatem cum sit ad utrumlibet determinari ad unum per consilium rationis: *Nec oportet (ait) hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* Et ad hoc magis declarandum addidi in *Metaphys.*, disp. 19, sect. 8, in omni intentione finis, quatenus libera est, includi virtualiter aliquam electionem in quantum vel hic finis particularis alteri præfertur, vel quatenus hic et nunc exercitium talis actus volendi præfertur carentiæ ejus. Et hinc fit ut, quando in tali intentione intervenit culpa, non possit tribui auctori naturæ, quia defectus ille non invenitur in illo actu, ut est pura intentio ex inclinatione naturæ, sed ut participat aliquid de electione ex applicatione liberæ voluntatis. Quod secus est, quando intentio est bona; potest enim suo modo tribui absolute auctori naturæ, non quidem ut principali agenti proximo, ut Ferrariensis insinuabat, sed ut primæ causæ danti inclinationem ad illum finem, non tantum ut absolute spectatum, sed etiam ut comparatum ad fines, etc.

29. *Confutatur tandem objectio allata num.*

20. — Atque hinc tandem facile refellitur objectio quæ contra nos sumitur ex illa doctrina D. Thomæ, ob quam clarius expediendam hæc obiter attingere oportuit. Illa enim doctrina, quod voluntas non se movet ad primum actum circa finem, licet alias suam difficultatem habeat, non fundatur in concursu prævio, nec in speciali prædeterminatione phy-

sica, quam Deus tribuat voluntati in prima volitione, seu intentione finis, sed in inclinatione naturali, vel cogitatione prævia, vel instinctu alicujus causæ superioris; quæ ratio locum habet, sive intentio finis sit ex motione prædeterminante, sive non sit, ut est verius; quia nec inclinatio naturalis, nec cogitatio prævia, seu instinctus est prævius concursus prædeterminans voluntatem, ut per se notum est; unde si talis intentio vel volitio finis sit omnino necessaria, etiam quoad exercitium, ut est in patria, ad illam est satis determinata voluntas per innatam inclinationem suam, et charitatis; si vero sit aliquo modo libera, eo ipso includit aliquam determinationem voluntatis se applicantis ad hanc partem potius quam ad illam, per aliquale consilium formale, vel virtuale, et ideo (ut D. Thomas dixit) necesse non est illam determinationem esse ab aliquo extrinseco agente.

CAPUT XLV.

EX CONCURSU DEI AD ACTUS QUI SUNT PECCATA, PECULIARI RATIONE SUPERIOR DOCTRINA COMPROBATUR.

1. *Status questionis.* — Supponimus actus peccatorum, prout actus sunt, non minus dependere a generali concursu physico primæ causæ, quam actus bonos, in quo defensores utriusque sententiæ conveniunt. Ex quo ulterius infertur, si ad actus malos, prout actus sunt (ita enim de illis tractamus, ne sit necessarium declarationem semper repetere), non est necessaria prævia motio determinans Dei, nec ad alios actus liberos ordinis saltem naturalis esse necessariam. Quam etiam illationem necesse est omnes admittere, quia si causa secunda essentialiter postulat illam præviā motionem ex generali ratione concursus, ad omnem actionem realem causæ secundæ erit necessaria, sive defectum aliunde habeat ad junctum, sive non habeat, quia defectus concomitans entitatem actionis, ut procedentis a voluntate, posterius quid est, et supponit in actione entitatem participatam et consequenter essentialiter dependentem a prima causa. Quidquid ergo fuerit de intrinseca ratione hujus essentialis dependentiæ, inveniatur etiam in actione peccati, et e contrario illa motio Dei, sine qua talis actus fieri potest, non est de essentia generalis concursus in cæteris actibus. Propter quam rationem fere omnes moderni, qui prævium influxum in causam dicunt esse de ratione essentialis dependentiæ

in agendo, quam causa secunda habet a prima, consequenter fatentur Deum præmovere, et prædeterminare voluntates humanas ad actiones peccatorum. Si qui autem eorum in aliis actionibus putant illam prædeterminationem esse necessariam ex vi generalis concursus, et negant illam in actibus malis, quoad eorum realitates, profecto consequenter non loquuntur. Unde etiam Gregorius et Capreolus, quia motionem illam requirunt ad actus bonos et negant in malis, negant illam pertinere ad concursum generalem, sed ad speciale auxilium gratiæ in natura lapsa necessarium ad bene operandum, de quo in libro 1 visum est.

2. *Prima ratio ad præviā motionem et prædeterminationem tollendam.* — Nos autem ex contrario principio sic argumentamur: causa prima sufficienter concurrat cum causa secunda ad actus reales peccatorum, et tamen non præmovet determinando illam ad actum peccati; ergo talis motio non est de necessitate divini concursus generalis, etiam respectu causæ liberæ, et consequenter, quantum est ex parte Dei, etiam ad actus bonos poterit libera voluntas se determinare cum solo concursu simultaneo sive prævio. Minorem, in qua est difficultas, late probavi in libro 3 de Auxiliis. Postea vero moderni scriptores de eodem argumento, omni conatu et argumentorum genere, conati sunt persuadere Deum præmovere homines ad actus peccatorum, eorum voluntates efficienter ad illos prædeterminando. Et ad nostra argumenta in summa respondent concedendo omnia quæ ex illo dogmate nos inferimus, uno excepto, nimirum Deum esse causam peccati: hoc enim negant sequi ex illa prædeterminatione, magis quam ex simultaneo concursu; putant eandem esse utriusque rationem, quia actus materialis seu realis voluntatis humanæ non habet quod sit peccatum, ex habitudine ad voluntatem Dei, sive præmoventem seu prædeterminantem, sive simultanee concurrentem, sed ex habitudine ad voluntatem humanam deficientem, cujus defectus Deus non est causa, et ideo quomodocumque concurrat vel præmoveat, nunquam est causa peccati. Et ita eludunt omnia testimonia Scripturæ et Patrum. Alia vero inconvenientia quæ nos inferimus, facile devorant, ut, quod Deus faciat nos facere hæc opera, quod absoluta voluntate voluerit ex æternitate nos velle illa, priusquam præviderit determinationem nostram, et quod talia opera

sint per se intenta ac proinde prædestinata a Deo. Quapropter nihil fere nobis superest addendum, eadem autem repetere supervacaneum videri potest. Nihilominus tamen, quia res est gravissima, et iudicio ac definitione Ecclesiæ dignissima, non gravabor vim aliquarum rationum pressius urgere, et nonnullas responseones accuratius ponderare, ut unusquisque vir prudens et doctus, nullo affectu privatæ opinionis præoccupatus, quid sit magis consentaneum divinæ bonitati, et Scripturis sanctis, et communi Ecclesiæ sensui judicare possit, dum infallibile Ecclesiæ iudicium non interponitur.

3. *Explicatur questio subjecto exemplo hominis deliberantis an peccato consentire debeat. In illo momento non debetur illi determinatio potius ad consensum quam ad dissensum ex natura voluntatis.* — Ut autem sensum meum et rationem, qua convincor, explicem, coram oculis mentis constituo hominem deliberantem an consentire debeat peccato, necne, et de se liberum et aptum ad consentiendum, vel ad hanc dispositionem sufficienti auxilio Dei actu præventum. Et interrogo an in illo puncto et momento, in quo voluntas hominis, prius natura quam a Deo prædeterminetur, est ad utrumque indifferens, debeatur illi determinatio ad consensum, magis quam ad dissensum, eo utique modo quo generalis concursus est illi ad operandum debitus, id est, an ex se talis voluntas postulet magis determinari ad consensum quam ad dissensum, vel ad utrumque prorsus sit indifferens. Primum enim non videtur verisimile, quia nulla ratio dari posse videtur, cur magis postulet aut mereatur debitam sibi fieri determinationem ad consensum, quam ad dissensum. Quia ex sola natura voluntatis liberæ hoc non postulatur; imo quia talis voluntas, licet sit indifferens, magis ac perfectius inclinatur ad honestum quam ad quodcumque aliud bonum repugnans honestati, quantum est ex se, magis quodam modo postulat determinationem ad dissentiendum illi; ergo ex vi solius innatæ inclinationis cum indifferentia nec debetur illi determinatio ad talem consensum pravam, nec de se illam postulat.

4. *Neque ex aliquo voluntati superaddito.* — Deinde neque per aliquid additum huic naturali libertati et inclinationi, postulat homo, aut fecit sibi debitam talem determinationem, quia vel illud additum est aliqua culpa, vel est aliqua infirmitas, seu defectus aliquis quem homo patitur sine culpa: neutrum dici potest;

ergo nullo modo potest reddi talis ratio ex parte hominis. Consequentia evidens est ex sufficienti partitione posita in majori, per membra immediate et contradictorie opposita. Minor autem quoad priorem partem etiam est certa, quia, licet homo peccando mereri possit privationem divini auxilii, aut aliam similem desertionem, nunquam tamen mereri potest ut directe ad actum peccati a Deo ipso inducatur, juxta communem doctrinam Sanctorum et Theologorum, quam nunc suppono. Et esto esset verum aut tolerabile dicere, posse peccatorem id aliquando mereri, nihilominus certum est etiam tunc illam motionem non pertinere ad generalem concursum debitum causæ liberæ, sed ad specialem poenam quam Deus vellet in eo casu inferre. Unde si qui Doctores videntur in aliquo casu id admittere, non dicunt illum esse ordinarium modum operandi Dei cum peccatoribus, sed esse rarum et extraordinarium, quando multa et ingentia peccata præcesserunt. Ut autem sit res evidentior, et extra omnem controversiam, loquamur de primo peccato, et de illo puncto in quo homo deliberat de illo vitando vel committendo; nam tunc non potest ratio determinationis sumi ex priori culpa, cum nulla præcesserit, nisi forte quis dicat sumi ex peccato originali, quod per se improbable est, præsertim ubi peccatum illud jam fuerit remissum. Verum tamen ut omne subterfugium tollatur, loquamur de primo peccato Adæ vel Angeli; in illo enim fingi non potest quod prædeterminatio ad talem consensum orta fuerit ex merito ratione prioris culpæ, cum nulla præcesserit.

5. *Quod amplius probatur.* — Superest videntur de altero membro, forte si dicatur defectum aliquem, præcedentem in homine prius natura vel tempore immediato ante instans in quo peccat, esse rationem ob quam homini debetur talis prædeterminatio ad consensum, potius quam ad dissensum, vel saltem esse rationem ob quam homo, quantum est ex se, magis illam determinationem postulet, quam aliam. Nam imprimis longe probabilius est voluntatem liberam, quomodocumque toto tempore antecedente ad instans consensus affecta est, nullam determinationem ab extrinseco agente postulare, quæ ordine causalitatis et naturæ suam determinationem et efficientiam præcedat. Nam etiamsi demus, vel permittamus voluntatem esse capacem illius prædeterminationis, salvo usu libertatis, et expectare illam a causa prima propter subordinationem, adhuc negari non potest quin in illo instanti